



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 2. Materia & forma hujus Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

bus opinionibus relatis (ut ostendimus l. 1.) hac in re abundet quisque sensu suo.

CAPUT II.

Materia & forma hujus Sacramenti.

- 7 **M**ateria remotam Jacobus Apostolus designavit, cum dixit: *ungentes eum oleo*, utique olivarum, uti Florentinum declaravit. Quia nempe solum istud oleum, olei nomine propriissime venit, & non nisi per similitudinem aliis liquoribus olei nomen tribuitur, soloque isto oleo homines uti solent ad eos fines, per quos significatur proprii effectus hujus Sacramenti; alio vero non nisi ipsius defectu. Apertissime proinde hæc materia significat illud, quod *virtute hujus Sacramenti interius in anima efficitur* (ait Catechismus Romanus) *nam ut oleum ad mitigandos corporis cruciatus magnoperè proficit; ita Sacramenti virtus anime tristitiam ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem offert, & lumini tanquam pabulum præbet: tum verò ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quæ omnia quid in aegroto, divina virtute, per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarat.*
- 8 Oleum istud ab Episcopo benedictum esse debere in Ecclesia Latina, habemus ex Florentino & Tridentino, docentque Innocentius I. epist. ad Decentium, S. Gregorius in Sacramentario, V. Beda in epist. S. Jacobi, & Capitularia Caroli Magni lib. 6. c. 76. Id tamen non est de necessitate Sacramenti (quidquid dixerit Merbellius cum non nullis aliis) cum hoc Sacramentum valide & licite apud Græcos conferatur oleo ab Episcopo non benedicto, uti constat ex pforum Euchologis, eumque ritum Clemens VIII. approbaverit in Instructione super aliquibus Ritibus Græcorum. In necessitate etiam non n. g. unus, quin oleum non consecratum, consecratio possit oleo admisceri (cum scilicet consecratum deficit) sic enim habetur in cap. *quod in dubiis* extra. de consecrat. Eccles. Summus denique Pontifex concedere potest, ut oleum infirmorum à simplici Presbytero benedicatur. Cum enim id passim fiat in Ecclesia Orientali, non est cur S. Pontifex id concedere non possit in Ecclesia Occidentali.
- 9 Si per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum est, ad aegrotum unguendum Sacerdos adhiberit, v. g. Chrysmatis, vel Catechumenorum, vel oleo ab Episcopo non benedicto unxerit (propter opinionem Merbellii supra relata) erratum emendet, unctionemque & formam repetat, uti statuitur in Concilio Mediolanensi V. traditque S. Carolus in Inst. uct. de Sacram. Extrem. Uct.
- 10 **M**ateria hujus Sacramenti proximam, scilicet unctionem, Jacobus Apostolus pariter designavit, dicens: *ungentes*. Tot porò unctiones fieri debent, quot in Ritualibus præscribuntur, maxime in organo quinque sensuum (cum id fieri potest) nullaque tunc prætermitti potest absque gravi peccato; tamen unica sufficit ad substantiam Sacramenti; eò quod unica fiat id quod per Jacobum Christus fieri voluit, *ungentes eum oleo*. Unde nec Græci unguunt organa quinque sensuum, sed frontem, genas, mentum & manus, ut testis est Simeon Thessalonicensis lib. de Sacram. Nunc autem præterea unguunt pectus & pedes, ut Arcudius testatur. Temporibus Apostolorum (prout Authores graves referunt) major corporis pars ungi consueverat.
- 11 **Q**uinque verò corporis partes hodie præcipue ungi debent (ait Rituale Romanum) *quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe oculi, aures, nares, os, & manus. Attamen pedes etiam & renes unguendi sunt. Sed renes unctio*

in mulieribus, honestatis gratia, semper omitatur, atque etiam in viris, quando infirmus commodè moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet. Pastorale tamen Mechliniense (sicut & Leodiense) loco renum, pectus ungi statuit. In feminis tamen non nisi summum pectus, sive immum guttur ungitur. Manus in Presbyteris exterius, in aliis interius unguuntur. Pedes in omnibus exterius, seu superne, tanquam in parte decentiore, ne oleum sub pedibus calcari videatur.

In morbis contagiosis, pestique grassante, ut in periculum vitetur, sufficit ungi sensus organum, magis ad unctionem expositum, aut decretum, dicendo: *per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum & pressum.* Tuncque preces, quæ præmittendæ & subjungendæ forent, poterunt in Ecclesia coram Venerabili Sacramento devotè legi, prout habetur in Pastoralis Mechliniensi, anno 1588. per Facultatem Lovanienfem approbato, can. 9. de Extr. Uct. Quando verò mors urgeat, fiat quod potest; si tamen tempus permittat, saltem unguantur celeriter quinque sensuum organa in capite, dicendo semel: *per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, &c.* Ita Manuale Cameracense, addens, quod, si tantum sit contagii, vel mortis periculum, ut necconsecrata partes ungi, nec illa forma pronuntiarî possit, unguatur organum sensus magis ad unctionem expositum, dicendo: *per istam sanctam, &c. quidquid deliquisti per quinque sensus tuos.* Et rursus, in rabidis unguatur pars ori vicina (simile observari debet in mutilatis, in quibus unguendæ partes viciniores organo sensuum), prout S. Carolus docet in Instruct. de Extrem. Uct. *ne saliva, quæ insciendi vim habet, tangatur. In pestiferis insciens virgâ ublongâ, oleo intinctâ, quæ deinde comburatur, aut servanda purgetur.* Quibus etiam S. Eucharistiam mediâ cannulâ, vel spatulâ argentâ, aut aliâ, ad vitandum periculum, ministrari aliqui permittunt.

Porò in unguendis oculis, aliique membris, quæ in homine gemina sunt; incipit utrumque membrum, v. g. utrumque oculum sub un. caverborum formula, sub duplici tamen cruce ungeri, incipiendo à dextro, uti S. Carolus & Ritualia præscribunt. Caveat proinde tunc Sacerdos prius formam absolvere, quam utrumque hujusmodi membrum perunctum sit. Quod si, dum ungitur, infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, & loco aliarum orationum, animæ commendationes legat. Quod si dubites, an vivat adhuc, prosequatur unctionem sub conditione, si vivis, per istam, &c. Sic passim Ritualia.

Forma denique hujus Sacramenti, est ista: *per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum.* Et similiter in aliis. Ita Florentinum & Tridentinum. Quæ forma deprecativa fundatur in verbis Jacobi: *orient super eum.* Ex quibus licet cognoscere formam precationis modo præferendam esse. Verba tamen indicativa esse posse, autoritate & ratione probari potest, ut videre est apud Morinum lib. 8. de penit. c. 16. n. 13. & 14.

CAPUT III.

Minister hujus Sacramenti.

Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, uti declarat Tridentinum. Et quidem solus, uti Tridentin. definit can. 4. & Jacobus declaravit, dicendo: *indigneat Presbyteros.* Quo nomine ea loca non atate seniores, aut primores in populo intelliguntur.